

DOCTRINA SANCTI IGNATII DE OBOEDIENTIA DEO CONSECRATA IN SOCIETATE IESU

SUMMARIUM: I. Notiones fundamentales. II. Exercitia spiritualia determinant oboedientiam ignatianam: a) Finis hominis est maxima gloria Dei, b) quaerenda per purificationem a pravis affectionibus, c) per abnegationem sui in servitium Creatoris. III. Oboedientia in Constitutionibus Societatis Iesu: 1. Cur prae aliis virtutibus procuranda? 2. Quo spiritu fidei colenda? 3. Quibus praestanda? 4. Obiectum amplissimum. 5. Quomodo exequenda: a) circa executionem externam, b) circa dispositionem tum voluntatis, tum iudicii; c) particularia de oboedientia caeca. IV. Relatio inter oboedientiam ignatianam et Decretum *Perfectae caritatis*, n. 14.

INTRODUCTIO

Descriptioni singulorum votorum, quae emittuntur in vita consecrata, praemittit c. 598 § 1 hanc normam generalem:

«Unumquodque Institutum, attentis indole et finibus propriis, in suis Constitutionibus definiat modum quo consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae, pro sua vivendi ratione, servanda sunt».

Communem, autem, ambitum oboedientiae, simul cum spiritu fidei et amoris, quo moveantur voventes oportet, in sequela Christi, describit c. 601:

«Evangelicum oboedientiae consilium, spiritu fidei et amoris in sequela Christi usque ad mortem oboedientis

susceptum, obligat ad submissionem voluntatis erga legitimos Superiores, vices Dei gerentes, cum secundum proprias Constitutiones praecipiant».

Fontes pro c. 598 § 1 nulli indicantur; pro c. 601 recensentur Const. *Lumen gentium* 47 Concilii Vaticani II, Decreta *Perfectae caritatis* et *Presbyterorum ordinis*, necnon Adhortatio Apostolica *Evangelica testificatio* 22-28 PAULI VI.

Novitas tradendi in Codice plenior descriptionem voti non debet suscitare mirationem; nam in animo legislatoris fuerat ut, dum faciliorem redderet ordinatam progressionem in vita fidelium, praecipuas partes tribueret «amori, gratiae atque charismati», quibus illustrandis ac promovendis prolata descriptio favet¹.

Haec norma c. 601, quo pacto praenuntiata fuerit in Constitutionibus Sti. Ignatii ante quattuor saecula cum dimidio, secundum proprios Instituti sui fines et indolem, describere intendimus, praemissis necessariis conceptibus de argumento, necnon summariis principiis de sequela Christi in Exercitiis spiritualibus eiusdem. His enim ante oculos non versantibus vix recte potest apprehendi oboedientia ignatiana, ut non semel comprobatum est; quibus, autem, bene consideratis et perpensis, vix alio modo concipi et praescribi potuisset.

I. NOTIONES FUNDAMENTALES

Oboedientia religiosa est virtus moralis inclinans voluntatem subditi ad exequendam voluntatem

¹ Const. Ap. *Sacrae disciplinae leges* 25 ianuarii 1983, qua promulgatur Codex iuris canonici.

Superioris legitime praecipientis, sive actu praecipiat aliquid in particulari, sive habitualiter aliquid per regulas stabiliter expressum urgeat, exsecutionem fidelem proseguendo.

Actus formalis et specificus virtutis oboedientiae, praeter exsecutionem mandati, sufficientem ad non transgrediendum praeceptum, requirit ut subditus illud exequatur obtemperando ipsi voluntati praecipientis, intendendo nimirum ipsam praestitam oboedientiam, seu exsecutionem mandati superioris.

Ad hunc actum formalem eliciendum praerequiri videtur praeceptum proprie dictum, quin sufficiat manifestatio desiderii Superioris ut aliquid a subdito perficiatur. Plures quidem videntur opinari verum actum oboedientiae exhiberi in obtemperando manifesto Superioris desiderio, «*voluntas enim Superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum*» secundum Doctorem communem². At vero, in obtemperando simplici desiderio Superioris, habetur quidem signum humilis subiectionis in spiritu oboedientiae, et excelsum praemium coram Deo propter eximiam dispositionem erga oboedientiam; sed strictae oboedientiae praestandae obiectum deficere videtur.

Virtus generalis oboedientiae exercetur in exsequendo quodlibet mandatum competentis Superioris; sive a Deo procedat immediate, sive mediate per homines ab Ipso in potestate constitutos vel probatos. Hoc sensu generali oboedientia exercetur non solum in obtemperando mandatis Superioris religiosi a propriis subditis et parentum ex parte filiorum, verum etiam in solvendo tributa socialia a civibus pro bono

² *Summa theologica*, 2-2, 104, 2c.

communi Status civilis, aut in audienda missa die praescripto ab Ecclesia. Sed in altero casu actus formalis virtutis et meritum relativum est iustitiae legalis observatae; in tertio, vero, religionis Deo exhibitae. Et hoc sensu intelligitur dictum S. Gregorii Magni, a S. Ignatio reassumptum: «*Oboedientia sola virtus est, quae virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit*»³. Eodem sensu largo, pariter ab IGNATIO memorato, affirmavit S. AUGUSTINUS: «*Oboedientia mater quodammodo est omnium custosque virtutum*»⁴.

In sua individualitate considerata, oboedientia est, inter virtutes morales, post religionem omnium praestantissima; etenim «*tanto aliqua virtus potior est, quanto aliquis maius aliquid contemnit ut Deo inhaereat*». Et, quia inter genera bonorum humanorum quae contemni possunt propter Deum

*«infima sunt exteriora bona, media autem sunt bona corporis, supremum autem sunt bona animae, inter quae, quodam modo praecipuum est voluntas... ideo, per se loquendo, laudabilior est oboedientiae virtus, quae propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliae virtutes morales»*⁵

Subiectum oboedientiae religiosae sunt ii qui in Instituto vitae consecratae per votum publicum professionem emiserunt, intra limites in Constitutionibus

³ *Epistola de oboedientia*. «Ad oboedientiam pertinent omnes actus virtutum prout sunt in praecepto». S. THOMAS, *S. th.*, 2-2, 104, 3 ad 2.

⁴ *De civitate Dei*, l. 14, c. 12, in PL 41, 420. Cf. S. THOMAS, *o.c.*, 2-2, 104, 3c. Hoc sensu intelligenda est referentia S. IGNATII in *Epistola de oboedientia* ad dictum 1Rg 15, 22: «*Melior est enim oboedientia quam victimae holocausti*».

⁵ S. THOMAS, *S. th.*, 2-2, 104, 3c.

seu *Codice fundamentali* singularum Religionum expressos; proinde, amplitudo sive quoad rem praeceptam sive quoad auctoritatem praecipientem, valde diversa esse potest in diversis Institutis.

Excluduntur ergo ab oboedientia religiosa, praeter ea quae sunt contra legem divinam et Constitutiones, etiam illa quae intenderentur praescribi supra, et/vel praeter Constitutiones; nam in usu legitimo propriae libertatis ea excluserunt voventes ab auctoritate Superiorum, iis consentientibus, cum oboedientiae in Instituto mancipati sunt⁶.

Obiectum voti, igitur, directe et immediate sunt tum mandata quae Superior intra ambitum Constitutionum praecipiat vi voti, tum alia quae in Constitutionibus urgeantur in virtute voti emissi, tum regulae quae versantur circa materiam votorum.

Cetera sive mandata a Superioribus eorumve delegatis, sive praescripta regularum, votum solummodo remote afficit in quantum religiosos constituit sub auctoritate Superiorum, urgentur autem proxime per ordinationem generalem vel per regulas Institutorum; nec semper directe sub reatu culpaе, sed ex se, saltem plerumque, comportando solam imperfectionem positivam, quin praestantia oboedientiae propterea minuatur, sed e contra augeatur, perfectiorem adhaesionem voluntatis erga normam recti ordinis determinando.

Votum ipsum fit soli Deo in Ecclesia; sed religiosus illud emittens obstringitur etiam erga Superiores ipsum nomine Ecclesiae acceptantes, ut iussa ab eis

⁶ Excludebant quoque moralistae medioevales expresse, «*si aliquid vanum praecipiat [Superior], ut levare festucam vel huius modi, sine aliqua utilitate*». Sic v. gr. B. FUMO, *Summa aurea Armilla*, Venetiis 1654, 368.

exsequatur. Nimirum, in eo duae continentur promissiones: altera, primarie et directe, erga solum Deum; altera, subordinate, erga Superiorem propter Deum; cadens et ipsa sub voto, in quantum vovens promittit coram Deo se impleturum ea quae legitimus Superior praeceperit⁷

Oboedientia, maxima virtutum moralium post religionem, per professionem religiosam non solum habet quamdam causalitatem universalem super virtutes, movens ad religionem, devotionem, humilitatem, pietatem, caritatem, iustitiam legalem, etceteras, minime favens passivitati irresponsabili pusillanimi, verum etiam donat Deo praestantissimum hominis bonum, facultatem nimirum animae qua homo insignitur prae ceteris creaturis visibilibus. Nihil quippe aestimabilius in eo quam libera voluntas; et nullum maius et aestimabilius sacrificium ab eo praestari potest Deo, quam abnegatio propriae voluntatis, quae est abnegatio sui ipsius, eo proximior holocausto, quo amplior sit campus resolutionum liberarum in quo ponitur sub potestate Superiorum, renuntiando propriae voluntati ut voluntatem Dei super seipso quam fidelissime persentiat et perficiat.

Attractus exemplo Christi, qui «*exinanivit semetipsum factus oboediens usque ad mortem*»⁸, religiosus obsecundat eius voci, dum declarat cuilibet volenti sequelam eius necesse esse ut «*abneget semetipsum*» et sequatur ipsum et quidem patientem et reprobatum

⁷ Cf. S. THOMAS, *S. th.*, 2-2, 88, 5 ad 3; SOTO, *De iustitia*, 1, 7, q. 2, a. 3 ad 1, sustinet in voto unicam contineri promissionem. Sed SUAREZ, *De religione*, l. 10, c. 2, n. 4. 13 existimat quaestionem solvendam esse investigando animum voventis; hunc autem censet recte interpretari in sententia S. THOMAE.

⁸ Fil 2,7.

ab hominibus⁹. Hoc exemplo, expresse in suis epistolis in memoriam revocato, et hac vocatione inductus, Ignatius admonebit suos filios ut

*«conentur interius resignationem et veram abnegationem propriae voluntatis et iudicii habere... proposita sibi voluntate ac iudicio superioris pro regula suae voluntatis et iudicii, quo exactius conformentur primae ac summae regulae omnis voluntatis et iudicii, quae est aeterna Bonitas et Sapientia»*¹⁰.

Sic, igitur, concinit IGNATIUS cum GREGORIO MAGNO in considerata oboedientia tanquam virtute quae *«sola virtus est quae virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit»*¹¹.

Voluntas Dei num semper antecedens?

Detractores celsitudinis oboedientiae religiosae in dubium revocant persuassionem communem, in animo STI. IGNATII alte insitam, de eximio beneficio cognoscendi voluntatem Dei, quo fruitur religiosus oboediens Superioribus, secundum regulas Instituti praecipientibus.

Neque enim oboedientia Christi erga Patrem, vel fidelium erga hierarchas Ecclesiae, vel civium erga praesides Status, vel filiorum et servorum erga patres familias et dominos carnales, quae referuntur in Sacra Scriptura, quaeque passim invocantur in exemplum illustrativum, demonstrare valerent piam istam persuassionem. In traditis enim exemplis agitur de conditione rerum diversa, et textus sacri non habent applicationem ad oboedientiam religiosam. Nimirum:

Christus Dominus obtemperat voluntati Patris,

⁹ Lc 9,22-23; Mt 16,24; Mc 8,24.

¹⁰ *Constitutiones Societatis Iesu* (Romae 1932), pars III, cap. 1, n. 23 (Const. III, 1, 23).

¹¹ Epistola de oboedientia (cf. supra, nota 4).

directe et immediate sibi communicatae¹²; fideles constituti sunt in Ecclesia a Christo sub potestate sacrae hierarchiae in iis quae respiciunt salutem animarum¹³; cives congregantur in societatem civilem secundum dispositionem divinam, et in ea obtinent praesides, qui eos regant in proseguendo bono communi¹⁴; et similia valent de filiis in familia et de famulis in societate herili¹⁵. Religiosis vero nullus designatur a Deo rector, et nulla auctoritas humana eis imponitur, interveniente quidem providentia divina, nisi postquam unusquisque illorum plena libertate determinaverit, in electo a se Instituto, per professionem Superioribus constitutis, determinatis conditionibus, se subicere.

Responsum plenius huic observationi inferius dabitur ad mentem STI. IGNATII. Argumentatio allata vera dicit in declaranda differentia connexionis et dependentiae ab interventu divino in constituenda auctoritate per determinationem divinam, sive immediatam pro Ecclesia sive mediatam pro societatibus naturalibus relatis, et per determinationem auctoritatis ecclesiasticae libere acceptatam a religiosis in ultimo casu, sese libere subiciendi electae pro se auctoritati, per Ecclesiam constitutae. Et concedi potest in epistola de oboedientia perperam evocatum esse a STO. IGNATIO argumentum *a fortiori* pro oboedientia religiosa, quia S. PAULUS praescribit eandem «*erga superiores temporales et ethnicos obsequendos sicut Christum*»¹⁶. Sed mediatio divina magis vel

¹² Cf. Io 4,34; 6,38; 10,18; 14,31; Hb 5,7-9, etc.

¹³ Cf. Mt 18,8; 28,20; Lc 10,16.

¹⁴ Cf. Rom 13,1.4-5; 1 Pt 2,13-16; Tit 3,1.

¹⁵ Cf. Ef. 6,1-8; Co 3,20.22-25; 1 Pt 2,18-19.

¹⁶ Epistola de oboedientia (supra nt. 4). In eadem applicatur

minus directa et proxima in instituenda sui vicaria auctoritate nihil tollit substantiali oboedientiae; et certe interventus divinus habetur in instituendis Superioribus religiosis.

II. EXERCITIA SPIRITUALIA STI. IGNATHI, CLAVIS PRO INTERPRETATIONE OBOEDIENTIAE IN SOCIETATE IESU PRAESCRIPTAE

Si verum sit quod narrabat H. NADAL, intimus STI. IGNATHI consiliarius, «*hic (in contemplationibus scilicet, Regni et Duorum vexillorum) intellexisse (Ignatium) finem intendendum et proponendum in omnibus operibus, eundemque haberi nunc in Societate Iesu*»¹⁷, certo verius est oboedientiam ab illo propositam tanquam notam characteristicam suo Instituto intelligi vix posse extra ascetim Exercitiorum spiritualium, in quibus per mensem integrum exercitandi sunt candidati antequam ad professionem in Societate Iesu admittantur. Immo etiam, vix potuisset a Fundatore aliter proponi et urgeri oboedientia in Constitutionibus Instituti, necnon illustrari in pluribus epistolis ad hoc argumentum exhaustiva consideratione dicatis¹⁸.

In magna Exercitiorum spiritualium varietate, quae diversis formis secundariis unam essentialem formam caritatis per peculiarium virtutum exercitium prosequuntur, «*insignem sibi locum vindicant ea quae S. Ignatius divino quodam instinctu in Ecclesiam*

ad oboedientiam religiosam textus lucanus 10,16: «*qui vos audit, me audit*».

¹⁷ *Monumenta historica S.I.*, Fontes narrativi, Nadal I, 307.

¹⁸ Tres precipuae recensentur inter alias huic argumento dicatae. Prae omnibus rem exhaustive tractat a. 1553 epistola ad socios in Lusitania.

*invexit*¹⁹, hac nota characteristicam insignita: quod per ea «*homo dirigitur, ut vincere seipsum possit, et vitae suae rationem, determinatione a noxiis affectibus libera, instituere*» valeat (Ex. 23).

Ad scopum nostrum illustrandi rationem oboedientiae ignatianae spectant tria haec: 1. qualis sit finis creaturae humanae in terra; 2. quid et quomodo ea operari debeat circa deordinatas affectiones, ea his opponendo quae ad illum finem quam maxime ducunt; 3. qua ratione agendum est ad voluntatem Dei in dispositione sui detegendam, ut ei satisfiat.

1. *Finis terrestris creaturae humanae: maxima Dei gloria*

Inter varia exercitia spiritualia quae disponunt «*animam ad tollendas affectiones omnes male ordinatas, et iis sublatis ad quaerendam et inveniendam voluntatem Dei circa vitae suae institutionem et salutem animae*» (Ex. 1), hanc notam characteristicam peculiarem tradit IGNATIUS suis Exercitiis: «*Exercitia quaedam spiritualia, per quae homo dirigitur, ut vincere seipsum possit, et vitae suae rationem, determinatione a noxiis affectibus libera, instituere possit*» (Ex. 21).

¹⁹ *Exercitia spiritualia* (Ex) secundum versionem latinam ab A. FRUSIO, cum numeratione marginali A. CODINA. Romae 1928. A PAULO III declarata fuere «*pietate ac sanctitate plena; et ad aedificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore*» (*Breve Pastoralis officii*). PIUS XI, in Const. Ap. Summorum Pontificum (AAS 14 (1922) 420-422) proclamavit «*exercitia spiritualia, secundum Sancti Ignatii disciplinam peracta, valere plurimum ad infligendas perarduas difficultates quibus humana societas nunc passim conflictatur...; laetas virtutum segetes, sicut olim, ita hodie in sacris secessibus maturescere*».

Rectam, autem, institutionem vitae temporalis humanae reponit in hoc fine: «*ut (homo) Dominum Deum suum laudet ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat*» (Ex. 23).

Laus, reverentia, honor Deo praestandus in spiritualitate ignatiana sunt expressiones quae convertuntur cum executione voluntatis divinae sub impulsu amoris et cum honore Deo tribuendo, ut revera sit «*gloria Dei vivens homo*»²⁰. Hominis in mundo versantis est «*praeparare et disponere animam... ad quaerendam et inveniendam voluntatem Dei circa vitae suae institutionem et salutem animae*» (Ex. 1; cf. 15. 175); «*magna animi liberalitate... totum studium conferre et arbitrium... suo Creatori (offerre), ut de se suisque omnibus id statuatur, in quo ipse potissimum servire possit, iuxta eiusdem beneplacitum*» (Ex. 5; cf. 91. 135), gloriam et laudem et honorem divinum quaerendo²¹ in omnibus propositis et inceptis (Ex. 66; cf. 179. 181. 185. 338), in connexione cum animae propriae (Ex. 153. 179 et passim) et aliorum (Ex. 16) salute.

Consideranti magnam varietatem qua S. Ignatius coniungit diversos inter se fines, seu rectius diversos

²⁰ S. IRENEUS, *Adversus haereses*, l. IV, 20, 7.

²¹ In *Exercitiis* et *Constitutionibus* «servitium divinum» et similes expressiones recurrunt circiter centies quadragies; «gloria et honor Dei», ultra centies; «servitium et laus», ter decies. Similes expressiones numero longe superiores leguntur in epistolis.

Dicendo de *gloria divina*, passim addit qualificationem maioris vel maximae. «Salutem animae» generatim memorat sine addito; at vero eam quoque supponit eximie prosequendam. Tradendo regulas de distributione elemosynarum expresse supponit intendi «*mayor gloria de Dios y mayor perfección de su anima*» (Ex. 339).

aspectus unius eiusdemque finis viatorum, evidenter patet eos recidere in unam «maximam Deo gloriam» praestandam, secundum ordinationem ipsius Creatoris.

Posset aliquis conicere Ignatium defecisse in proponendo summo hominum fine, exhibendi nimirum amorem Deo; et similiter, nimis curasse de propriae animae salute; proximorum autem suorum sortem minus curasse.

Neutrum obiceretur cum fundamento. «*Amor ipse ab operibus magis pendet quam a verbis*» (Ex. 230), consistens «*in mutua facultatum, rerum et operum communicatione*» (Ex. 231). Hinc, exhibitio eorum quae Ignatius proponit in servitium divinum est, pro eo, probatio genuina amoris hominum erga Deum (cf. Ex. 233, 363, etc.). Praeterea, de ipso amore Deo exhibendo expresse saepius agit in Exercitiis; immo, supponit hominem recte intentum moveri ad agendum «*per affectum ex Dei amore caelitus infusum*» (Ex. 184; cf. 316), et ipsum amorem erga Deum promoveri «*ut radicem et causam cuiuscumque affectionis erga cognatos et amicos omnes*» (Ex. 338); unde fiat quod «*ad amorem et salutem Dei amplectendum*» in omnibus moveamur, quodque affectus nostri erga proximum «*directe proveniant ex amore Dei*» (Ex. 338; cf. 363).

Quod autem salutem propriam toties meminerit assequendam, parum memorans proximorum salutem, facile explicatur attento fine exercitiorum. Minime, vero, intelligi debet tanquam quid egoismi spiritualis, clausi in seipso, tum quia salus animae propriae diligentissime curanda proponitur in Evangelio; tum quia passim coniungitur apud eum cum gloria divina, ut huius elementum; tum quia non intenditur salus liberans a morte aeterna, sed salus in

gradu perfecto pro maiore glorificatione divina (Ex. 152. 179. 185. 339); tum denique quia de servitio divino ex dilectione Dei procedente, et de studio animarum salvandarum pro gloria divina ardentissimo dubitari nequit apud IGNATIUM, qui etiam poenas inferni considerabat ut stimulum ad amorem Dei conservandum (Ex. 65). Ad rem eloquens animadversio: «*Quamvis summe laudabile... atque utile, ex dilectione pura inservire Deo, nihilominus tamen valde commendandus est maiestatis divinae timor*» (Ex. 370).

Et hoc quidem, sive quia filialem «*nobis cum ipso Deo unionem amoris praestat et conservat*» (ibid); sive quia ipse servilis habet functionem similem pro fidelibus, «*ut si quando me ceperit divini amoris oblivio, saltem a peccatis supplicii timor avertat*» (Ex. 65), adeoque amor Dei imperturbatus in animo fidelis insideat.

2. *Medium applicandum: purificatio radicalis a pravis affectibus*

Ascetica ignatiana exercetur tota in sui abnegatione ad supra indicatum finem hominis, vincendi seipsum a noxiis affectibus, ut «*magno animo atque liberali totum studium et arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se suisque omnibus id statuatur in quo Ipsi potissimum servire possit iuxta Eiusdem beneplacitum*» (Ex. 5). Hoc ut assequatur, praevidiam quaerit animi dispositionem purificatricem, ut abhorrendo «*ordinem perversum, eo correcto, nosmetipsos secundum Deum recte ordinemur*» (Ex. 63), «*nihil affectando aliud nec quaerendo nisi quod honorem Deo praestet*» (Ex. 189 b); ideoque «*absque differentia... erga res creatas omnes, prout libertati arbitrii nostri*

subiectae sunt» (Ex. 23; cf. 157. 179. 184.), ex omnibus ea demum quae ad finem quam maxime ducunt eligendo et desiderando, quaeque «*solo divini cultus et amoris studio sibi patuerit*» (Ex. 23. 150).

Cum autem natura humana noxiis affectibus sit gravata, eisdemque attracta tendat ad effugiendum sacrificium et abnegationem deordinatae naturalis inclinationis, «*summopere se, totis viribus, enitendum est in contrarium*» (Ex. 16); et «*unusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, et commodi proprii affectione sese traxerit*» (Ex. 189 b), «*expugnata carnis, sensuum amorisque proprii et mundani rebellionis*» (Ex. 97). Expertus paedagogus et eximius consiliarius spiritualis animorum, IGNATIUS monet multum conferre ad elidendos affectus erga terrena, «*petere ex Deo, etsi renitente carne, ut... nos eligat*» (Ex. 157; cf. 98. 147. 167). Monet quoque ei qui patitur tentationem reducendi tempus meditationi concedendum: «*adversus tentationem tempore desolationis semper pugnandum est, producto ultra definitam horam exercitio, vincendi gratia*» (Ex. 13).

Haec animi dispositio promovetur in spiritualitate ignatiana non ex quadam tendentia masochistica, sed ex ardentissimo amore Christi in summa egestate nati, «*labores, famem... opprobria, verbera et crucem tandem obiturus, idque mei causa*» (Ex. 116); cuius consideratione «*incipiam et ipse dolorem, moestitiam et fletum mihi excitare*» (Ex. 195), arguendo meipsum, «*percontans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Christo, quid agam tandem aut agere debeam*» (Ex. 53; cf. 147, 157).

Nec satis; studium imitandi Christum, obedientem Patri a nativitate in summa paupertate usque ad ignominiam crucis, interpellat hominem «*quid agere*

debeam aut pati Eius causa» (Ex. 197); ut «*etiamsi nullo superaddito, laus Dei par foret, ad meliorem tamen imitationem Christi eligam potius cum eo paupere, spreto et illuso, pauperiem, contemptum et insipientis titulum amplecti, quam opes, honores et sapientis aestimationem»* (Ex. 167).

3. *Quid agendum ad voluntatem divinam circa sui dispositionem detegendam*

In prosecutione quam maximae glorificationis divinae, cum qua coniuncta est maxima assecutio salutis hominum, IGNATIUS curat purissimam intentionem mentis et fortem impulsum voluntatis.

Quamquam intentio et finis primarius est amor et gloria Dei, realismus spiritualis IGNATII non fidit impulsibus cordis et piaie dispositioni voluntatis, sed curat praeparationem animi ad abnegationem cuiuslibet affectionis adversantis amori divino. Nimirum eradicandum proponitur

«quidquid affectionis, sive multum sive modicum sit, erga rem electam tenet, in quantum non proficiscatur ex solo Dei amore et intentione, impediens quominus affectus... recto proveniat ex amore Dei, quem certe amorem debeo sentire in me ut radicem et causam cuiuslibet meae affectionis» (Ex. 338).

Saepius occurret monitum «*per affectum ex Dei amore caelitus infusum fieri debere electionem»* (Ex. 184); quem certe amorem «*debeo sentire in me, ut radicem esse et causam cuiuscumque meae affectionis...*, ut praecipua ea ratio elucescat in omnibus gerendis» (Ex. 338). Saepe saepius, concinens cum hoc consilio, agendum esse «*nihil affectando aliud nec quaerendo nisi quod honorem Dei... praestet»* (Ex.

180 b), compellit «*ad amorem, cultum et servitium divinum totum se*» impendendum (Ex. 233. 362).

Ad impulsus voluntatis assequendum pro exercitio amoris erga Deum applicatur paedagogia realistica supra indicata. Sufficiat hic meminisse aliquos aphorismos asceticos sibi caros, in libro exercitiorum memoratos, v. gr., dum promovet sequelam Christi «*expugnando carnis, sensuum amorisque proprii et mundani rebellionem*» (Ex. 97); dum «*accidit animam ad aliquid minus rectum affici atque inclinare, summo-pere ac totis viribus nitendum est in contrarium*» (Ex. 16); dum «*affectum sentimus... cuiuslibet virtuti adversantem, ... multum confert ad illud elidendum, petere ex Deo, licet renitente carne, ut ad (virtutem) huiusmodi sectandam nos eligat*» (Ex. 157). «*Hoc enim unusquisque persuasum habeat, tantum se in rebus spiritualibus profecturum esse, quantum ab amore sui ipsius, et commodi proprii affectione sese abstraxerit*» (Ex. 189 b).

Ad finem huius partis duo occurrunt notanda ad intelligendum exercitium oboedientiae Societati Iesu proprium; primum, in sectione III exemplis confirmandum, illustrare potest compatibilitatem oboedientiae voluntatis et intellectus plenae cum oboedientia activa et responsabili, attentis quibusdam interventibus ipsius STI. IGNATII in hac re, et doctrina eiusdem de communicatione Creatoris cum anima devota ad detegendum beneplacitum divinum in motionibus interioribus. Magis fident experientiae interiori, in qua «*clarum compertumque fit beneplacitum divinum*» per consolationum et desolationum experientiam (Ex. 176; cf. 15), quam electioni serenae et liberae facultatum superiorum applicationi (Ex. 177); immo, electionem altera hac ratione factam non prius sancitam habet, quam rem electam, inter orandum,

Deo offerat, «*si Ei placeat recipiendam et stabiliendam*» (183).

Alterum notandum hoc est: Novitii Societatis Iesu, ante votorum emissionem, per mensem integrum vacant Exercitiis spiritualibus, et imbuuntur in hac ascensi totalis suae abnegationis secundum exemplum Christi; ab ipso ingressu in novitiatum, candidato proponetur exemplum Christi omni contumeliarum genere attriti; ab eoque quaeretur, an desideret «*Eum imitari et sequi*» per talem viam humiliationis et abnegationis sui ipsius; quodsi

«in se huiusmodi tam inflammata in Domino desideria non sentiret, interrogetur an certe desiderium in se sentiat huiusmodi desideria sentiendi... an decreverit paratusque sit huiusmodi iniurias, illusiones et opprobria in Christi insignibus inclusa, et alia quaevis quae ei inferrentur... admittere et patienter cum gratia Dei ferre»²².

Attenta igitur, spiritualitate Exercitiorum, quae mirabiliter in se componit positiva elementa pelagianismi et quietismi illuminati, exclusis falsis fundamentis quae partialem veritatem in eis contentam deturpant, vix potuisset IGNATIUS alium vitae et oboedientiae religiosae modum concipere pro sua Societate diversum ab eo qui, in forma specifica, probatus est a Romanis Pontificibus²³, quique in Constitutionibus Instituti disserte exprimitur.

Sodalis IGNATIUS scit, circa executionem voluntatis divinae, ex una parte agendum esse ut si totus successus penderet ab applicatione propriarum virium ac facultatum; ex alia vero parte, persuassum habet

²² *Primum ac generale examen* candidatis proponendum, c. IV, num. 44-45.

²³ Cf. Litt. encycl. PAULI III et IULII III (cf. o.c. in nota 10) XXIII-XXIV.

spem reponendam in solo Deo, quasi propria industria nihil valeret conferre ad successum.

Hinc, ex una parte persentit nihil sibi esse detrahendum de propriis facultatibus ut impendatur et superimpendatur in glorificando Deo; ex alia parte, conscius de affectionibus deordinatis et diffidens de sinceritate propriae voluntatis circa divinam gloriam prosequendam, sciens volens intendit se committere Superioribus ab Ecclesia probatis, qui eum regant secundum normas a viro charismatico confectas, et ab eadem auctoritate Ecclesiae sancitas.

III. OBOEDIENTIA IN CONSTITUTIONIBUS SOCIETATIS IESU

Argumentum eo est maioris momenti quo signa temporum ultimis decenniis efferunt ius et officium, nunquam in praeterito negatum, singulorum sese gerendi secundum dictamen propriae conscientiae, in libera dispositione proprii consilii, soli Deo eiusdemque voluntati ultimatim subiecti. Quod ius et officium, mitigata quadam proportionem et modo, a nonnullis applicandum optatur ad vitam consecratam, invocato spiritu Concilii²⁴.

Iam superiori tempore, et fere ab initio, impugnabatur doctrina ignatiana de oboedientia in holocausto personalitatis propriae; eademque nunc, inconsulto et leviori iudicio, pluribus videtur minus conformis cum praerogativa libertatis personalis, necnon cum doctrina Concilii Vaticani II de procuranda a

²⁴ Cf. J.M.R. TILLARD, *Obéissance*, in *Dictionnaire de spiritualité*, XIII, 957-958.

Superioribus «*in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili oboedientia*», permittendo subditis applicationem virium «*intelligentiae et voluntatis, necnon naturae et gratiae*» donis, «*in praeceptorum executione et in expletione munerum sibi commissorum*»²⁵.

Dicturus de oboedientia a sociis iam cooptatis in corpus Societatis Iesu, post commendationem eis factam de «*absoluta omnium Constitutionum observatione*», IGNATIUS eosdem commonet ut

«*exactissime omnes nervos viriumstrarum ad hanc virtutem oboedientiae... intendamus... omnibus in rebus, ad quas potest cum caritate se oboedientia extendere..., ad eum scopum vires omnes ac intentionem in Domino convertendo, ut sancta oboedientia ... sit in nobis semper omni ex parte perfecta*»²⁶.

Vacat percurrere locos Constitutionum, in quibus multiplicantur expressiones huic similes: «*Expedit imprimis ad perfectionem spiritus, et valde necessarium est, ut omnes perfectae oboedientiae se dedant*»²⁷.

1. Cur prae aliis virtutibus oboedientia promoveatur in Societate Iesu

Plures sunt considerationes a SANCTO IGNATIO allatae ad commendandam extollendamque prae aliis

²⁵ Decretum *Perfectae caritatis*, 14.

²⁶ O.c. (cf. notam 10). In Epistola de oboedientia significabat ad rem: «*En otras religiones podemos sufrir que nos hagan ventaja en ayunos y viglias y otras asperezas... Pero en la puridad y perfección de la obediencia, con la resignación verdadera de nuestras voluntades y abnegación de nuestros juicios, mucho deseo que se señalen los que en esta Compañía sirven a Dios nuestro Señor, y que en esto se conozcan los hijos verdaderos de ella*».

²⁷ O.c. (cf. notam 10), p. III, c. 1, n. 23.

virtutibus oboedientiam. Sed inter eas una longe eminent prae ceteris, quae locum valde secundarium obtinent. Secundaria est, in particulari, toties allegata retinenda disciplina ad instar militiarum humanarum, quae semel tantum, et a longe, expressa invenitur in *Formula Instituti* a IULIO III approbata et confirmata, in qua, «*praeter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium*», praescribitur sociis subiectio Superioribus praestanda «*propter ingentes ordinis utilitates*»²⁸. Agendo quoque de unione membrorum Societatis ad conservationem boni status eiusdem, Ignatius extollit vinculum caritatis, cui retinendo «*imprimis id praestabit oboedientiae vinculum hierarchice ordinatum*»²⁹.

Alia motiva prudentiae naturalis vix referuntur. Sit in exemplum:

«*Particularibus... securius est, si cum suorum Superiorum oboedientia, quam si pro arbitraru suo (etiamsi id possent), et non ab iis missi proficiscerentur, a quibus Christi Domini nostri loco, ut ab interpretibus divinae voluntatis, sunt regendi*»³⁰.

Postrema haec verba efferunt complexum motivum, longe princeps cum altero de totali abnegatione sui propter Deum, iterum iterumque allatum, in quo fundabat IGNATIUS cultum oboedientiae in Societate

²⁸ L.c., n. 6.

²⁹ O.c. (cf. notam 10), X, n. 9.

³⁰ *Ibid.*, VII, 2, 1 A. Simili motivo explicabat specialem oboedientiam erga Summum Pontificem, scribens ad Diego de Gouvea: «*La causa de esta nuestra resolución, que nos sujeta a su juicio y voluntad, fue entender que él tiene mayor conocimiento de lo que conviene a todo cristiano*».

Iesu; nimirum, perfectissimum servitium Christo Domino certiori directione a sodalibus exhibitum in difficili et laborioso exercitio abnegationis sui, agendo pro Deo contra proprium amorem Ei non subiectum. Quod motivum exhibetur constanter in vindicanda plenissima subiectione voluntatis sociorum erga Superiores, in holocausto voluntatis propriae pro maiori servitio Christi consummato.

Iam in *Formula Instituti* a IULIO III approbata singularis subiectio Romano Pontifici praestanda praescribebatur

«ob devotionem... maiorem ad oboedientiam Sedis Apostolicae, et maiorem voluntatum nostrarum abnegationem, et certiores Spiritus Sancti directionem, summopere conducere iudicavimus singulos nos... speciali ad hoc voto astringi»;

addita inferius ratione, constanter ob oculos fidei tenenda, quod *«in illo»* (Superiore) *Christus veluti praesentem agnoscere debent*³¹; quandoquidem, ut aperte proponet ab initio suis candidatis, *«oboedientia non considerat personam cui fiat, sed propter quem fiat; et si propter solum Creatorem et Dominum nostrum fiat, eidem omnium Domino oboeditur*³².

Commendatum, ergo, summopere habent socii, ut *«assuescant non intueri quis ille sit cui oboediunt, sed potius quis ille propter quem et cui in omnibus oboediunt, qui est Christus Dominus»*³³. Ideo, *«Superiorem, quicumque ille sit, loco Christi Domini nostri agnoscentes, et interna reverentia et amore eum prose-*

³¹ L.c., num. 3.6.

³² L.c. (cf. notam 22), c. IV, n. 29.

³³ O.c. (cf. notam 10), III, 1,24.

quentes», perfectae oboedientiae se dedant³⁴, ac «*Iesum Christum in eis considerent*»³⁵; semper autem erit subditi missionem suam, «*ut de manu Domini, hilari animo suscipere*»³⁶.

Dicendo de iis conservandis et promovendis qui in probatione manent, postquam declarat quod «*expedit imprimis ad profectum*», addit esse valde necessarium

«*ut omnes perfectae oboedientiae se dedant, Superiorem, quicumque ille sit, loco Christi Domini nostri agnoscetes... , proposita sibi voluntate ac iudicio Superioris pro regula suae voluntatis et iudicii, quo exactius conformentur primae ac summae regulae omnis voluntatis et iudicii, quae est aeterna Bonitas et Sapientia*»³⁷.

In parte VI Constitutionum, ubi agit de oboedientia admissorum ad professionem, praesentat synthesim doctrinae sub omni respectu. Ad rem nostram haec declarat:

«*Ad eius (Superioris) vocem, perinde ac si a Christo Domino egrederetur, (quandoquidem Ipsius loco ac pro Ipsius amore ac reverentia oboedientiam praestamus), quam promptissimi simus..., omnia iusta esse nobis persuadendo... Et sibi quisque persuadeat, quod qui sub oboedientia vivunt, se ferri ac regi a divina providentia per Superiores suos sinere debent..., pro certo habens quod ea ratione potius quam re alia quavis, quam praestare possit, propriam voluntatem ac iudicium sectando, divinae voluntati respondebit*»³⁸.

³⁴ *Ib.*, 1,23; cf. VIII, 1,D.

³⁵ *Ib.*, VI, 1,2.

³⁶ *Ib.*, VII, 2,c.

³⁷ *Ib.*, III, 1,23.

³⁸ *Ib.*, VI, 1,1.

Ex allatis evidenter patet rationes disciplinae et efficacitatis, immo, et maioris perfectionis personalis in agendo, parum prae oculis Fundatoris fuisse. Constanter versatur ei ante oculos imago Christi, Regis aeterni et Domini universalis, cuius exsequendae fidelius voluntati tota oboedientiae ignatianae ratio et essentia ordinatur. Motivum oboedientiae semper idem est: voluntas Christi circa subiectum in mandato Superioris securius et facilius perspecta.

Numquid IGNATIUS tradit Superiorem referre quidem semper voluntatem divinam circa subiectionem a subditis praestandam mandatis legitimis, sed non semper, etsi plerumque, referre ipsam primam voluntatem divinam circa ipsum obiectum oboedientiae?

Censemus IGNATIUM super hac alternativa non cogitasse. Absque dubio putabat religiosum, sub regimine oboedientiae religiosae, obtemperantem nimirum mandatis secundum normas ab Ecclesiae auctoritate sancitas, securius et fidelius executurum voluntatem Dei super eo, quam si ipse, propria resolutione, utcumque sincerissima et rectissima, investigaret et exequeretur quae sibi apparerent dispositiones divinae sibi exequendae.

Attentis diversis formulationibus ab ipso usurpatis dicendum videtur IGNATIUM censuisse subditum, sub oboedientia positum in vita religiosa, plerumque executurum id quod intendit providentia divina antecedens mandatum emissum a Superiore secundum Constitutiones, id quod sensus fidei et providentia, non minus quam prudentia humana facile suadent. Nimirum, fallaciae naturae lapsae, affectiones egoismo deviantes ab ordine recto, frequens incompetentia subiectorum circa rem aggrediendam, ex una parte; Superior inter plures discretione et prudentia commendatus; scopum intendens non personalem,

cum periculo fallaciae, sed connexum cum bono communitatis de eius convenientia iudicaturae; normam praecipendi non proprium fallax iudicium habens, sed in Constitutionibus Instituti determinatam, et quidem saepissime a Fundatore donis Spiritus Sancti in Ecclesia praeclaro, et quod aestimabilius est, iudicio authentico huius Ecclesiae probatam et sancitam; tandem fidelitas ipsius Dei quodammodo implicata est, nam ut ait S. IGNATIUS in epistola de oboedientia, «*fidelissima caritas Dei non deficiet qui recte dirigat oboedientes per talem mediatorem constitutum*».

Identificatio universalis mandati Superioris cum voluntate divina antecedente saepius insinuata videri potest in formulis ignatianis, v. gr. cum toties insistit in obtemperando voluntati divinae per Superiorem manifestatae, vel cum affirmat generositati voventis oboedientiam non defecturam fidelissimam caritatem divinam, ut per mediationem humanam ducat illum ad glorificationem divinam, neque enim decipi nec decipere potest. Attamen identitatem universalem non sustinet, sed praevidet casus in quibus possit ac debeat accedere ad Superiorem obiciendo contra rem praescriptam, et non semel agnoscit possibilitatem mandati a Superiore lati, quod ordini morali contradicat³⁹.

Ignatius invocat exemplum Christi oboedientis Patri, fidelis usque ad mortem. Non quidem discutit, sed certissime non admisisset motivum difficultatis moveri solitae in hac re, quod Christus Dominus obtemperabat voluntati ipsius Dei directe manifesta-

³⁹ Cf. III, 1,23; 6,1,1B. Eph 6,5-6; 1 Pt 2,18 referunt de Superiore electo ab homine, Deum nihilominus repraesentante.

tae, dum religiosus oboedientiam directe praestat homini erroris et deordinatae voluntatis capaci.

Mens ignatiana, fide perfusa, huic difficultati locum non praestat. Ordo divinae providentiae regulariter homines per alios homines gubernat, in auctoritate legitime constitutos; et horum legitimis mandatis vult illorum voluntates subiectas. Quamquam auctoritates humanae aliae alio modo obtinent potestatem a Deo, explicite in Ecclesia, implicite in Statu civili, motivum oboediendi reponitur universaliter in ea auctoritate divina participata, non in qualitate individuali rectorum Societatum; nec diversitatem patitur circa gradum subiectionis propter proximiorrem vel remotiorem unionem Superiorum cum Deo.

2. *Quibus oboedientia praestanda sit*

Ex modo dicendi, IGNATIUS vix putabat votum oboedientiae religiosae afficere praecepta directa Romani Pontificis ultra universalem fidelium subiectionem. «*Ob devotionem tamen maiorem ad oboedientiam Sedis Apostolicae*», voluit suos socios speciali voto adstrictos Vicario Christi, pro certiori quoque Spiritus Sancti directione. Et hoc votum peculiare manet et urget in Societate Iesu singulari determinatione, etiam cum nunc certo constat singulos sodales religiosos «*Summo Pontifici tanquam Supremo eorum Superiori, etiam ratione sacri vinculi oboedientiae parere*»⁴⁰.

Intra ipsam Societatem commendat IGNATIUS distributionem potestatis inter diversos Superiores hierarchice ordinatos, cum facultate singulis data limita-

⁴⁰ Can. 598 § 2.

tas quasdam potestates delegandi. Monet autem ut inter diversos gradus auctoritatis crebra vigeat communicatio, in debita subordinatione; unde, crebrior erit in Generali cum Provincialibus, et in his cum Superioribus localibus⁴¹. Nec fugit eum prudens animadversio:

«Aliquando tamen Generalis, vel ut pleniorum rerum omnium notitiam habeat, vel propter alia quae saepius accidere solent, ipsemet cum Rectoribus et Praepositis localibus, et particularibus etiam personis agat»⁴².

In universum hanc proponit normam:

«Ad eandem oboedientiae virtutem ordo bene observatus inter ipsos Superiores, quorum alii aliis subduntur, et inferiorum erga illos pertinet; ita ut singuli qui in aliqua domo vel Collegio versantur ad suum Praepositum localem seu Rectorem recurrant... Eis autem qui per provinciam aliquam ... disiuncti manent, ad Provincialem erit»⁴³.

Quoniam vero ad oboedientiae regimen pertinet «ordo bene observatus inter ipsos Superiores, quorum alii aliis subduntur, et inferiorum erga illos», inter alia id quoque commendatur curandum, «ut ille cui Rectoris officium imponitur ... in oboedientia praecipue ac humilitate probatus sit»⁴⁴.

Particulari ratione insistit IGNATIUS in oboedientia praestanda, intra communitatem domesticam, officialibus qui a Superiore auctoritatem accipiunt, «in iis omnibus in quibus super ipsos auctoritatem habent», iuxta normam constantem intuendi Illum cui et prop-

⁴¹ L.c. (cf. notam 10) VIII, 1,4; IX, 6,2.

⁴² Ib., IX, 6,2.

⁴³ Ib., VIII, 1,4.

⁴⁴ Ib., IV, 10, 4. et IV, 10,8.

ter quem obediunt⁴⁵. Quod exercitium oboedientiae declarat «*conveniens et valde necessarium*». Quare informando candidatos de condicionibus necessariis ad vocationem concludit:

«*Unde nulla ratione considerandum est an sit coquus vel Superior domus, an hic vel ille sit, qui iubet; quandoquidem nec ille nec propter illos (sane intelligendo) ulli oboedientia praestatur, sed soli Deo et propter solum Deum*»⁴⁶.

Hinc trahit consequentiam in qua evidenter revelatur quo fidei spiritu et qua discretionem practica procedendum sit in oboedientia, cum addit:

«*Ideo melius est, ut coquus non roget sibi inservientem, ut hoc aut illud faciat; sed cum modestia iubeat vel dicat: hoc fac vel illud. Si enim rogat, potius ut homo hominem alloqui videbitur; et coquum laicum rogare sacerdotem ut ollas abstergat, vel res huiusmodi faciat, nec decens nec iustum videretur. Sed si iubeat... significabit magis quod ut Christus homini loquitur, quandoquidem ipsius loco iubet*»⁴⁷.

Agendo de modo conservandi corpus Societatis in suo bono statu, pro unionem membrorum inter se et cum Capite commendat «*imprimis voluntatum vinculum quod caritas est*». Et subiungit:

«*Imprimis id praestabit oboedientiae vinculum, quod caritas est*».

Et subiungit:

«*quod particulares cum suis praepositis, et hos ipsos inter se et cum Provincialibus, et utrosque cum Generali uniet; ita ut inter omnes diligenter subordinatio servetur*»⁴⁸.

⁴⁵ *Ib.*, III, 1,24; cf. *Examen* IV, 29.

⁴⁶ *O.c.* (cf. notam 22) IV, 29.

⁴⁶ *O.c.* (cf. notam 22) IV, 29.

⁴⁷ *Ib.*, IV, 30.

⁴⁸ *O.c.* (cf. notam 10) X, 9.

3. *Ambitus oboedientiae ignatianae*

Obiectum immediatum oboedientiae ignatianae sunt, praeter praecepta actualia Superiorum competentium in nomine Christi lata, necnon regulae quae definiunt materiam trium votorum, quaedam alia particularia praescripta exceptionaliter in virtute sanctae oboedientiae prolata. Obiectum mediatum sunt ceterae dispositiones Superiorum vel Officialium ab eis delegatorum, necnon regulae quae, licet ex se directe non obligant sub peccato, sunt materia circa quam exercet Superior suam auctoritatem, easdem urgendo et intra ambitum earumdem praecepta particularia emittendo.

Posset mirum videri oboedientiam dici virtutem fundamentalem constantis applicationis in vita religiosa, et nihilominus votum oboedientiae, adeo laudatum, raro applicari directe et immediate praeterquam in materia ipsorum votorum; nam in nomine Christi vel in virtute oboedientiae non compelluntur nisi rebelles, et regulae ex seipsis non urgent immediate sub peccato⁴⁹.

At vero hoc mirum evanescit, si consideratur religiosos vi voti constitutos esse in statu subiectionis oboedientialis, tam erga Constitutiones iuxta quas emiserunt votum, quam erga Superiores legitimos eorumque officiales delegatos; adeoque, in omnibus eorum actibus externis recte ordinatis moventur spiritu et merito oboedientiae, sublata ab eis libertate ad

⁴⁹ Pro Societate Iesu praescribit IGNATIUS: «*Visum est nobis in Domino, excepto expresso voto quo Societas Summo Pontifici... tenetur, ac tribus aliis essentialibus, ...nullas Constitutiones... vel ordinem ullum vivendi, posse obligationem ad peccatum mortale vel veniale inducere, nisi Superior ea in nomine Domini... vel in virtute oboedientiae iuberet*». *Ib.*, VI, 5.

perpetranda quae ex se honesta essent et valde aestimabilia, quatenus cum eorum regulis non sint conformia. Recte, igitur, rogat vovens in Societate Iesu «*ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris*».

Amplitudo obiecti oboedientiae diversa est in diversis Institutis, utpote quae promittitur iuxta cuiusque Instituti Constitutiones. In Societate Iesu actus interni, etiamsi non sint necessarii ad perficiendum actum externum, directe praescribuntur praesertim circa oboedientiae virtutem. Ad rem Constitutiones:

«*Nec solum in executione externa eorum quae iniungit... verum etiam conentur interius resignationem et veram abnegationem propriae voluntatis et iudicii habere cum eo quod Superior vult et sentit*»⁵⁰. «*Vires omnes ac intentionem in Domino convertendo, ut sancta oboedientia, tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu sit nobis semper, omni ex parte perfecta*»⁵¹.

Area intra quam oboedientia praescribi potest in Societate Iesu est fere illimitata. Ad rem Constitutiones:

«*Integre, prompte, fortiter... sine excusationibus et obmurmurationibus oboediant, licet difficilia et secundum sensualitatem repugnantia iubeat...; conentur... in omnibus rebus ubi peccatum non cerneretur, omnino conformantes, proposita sibi voluntate ac iudicio Superioris pro regula suae voluntatis et iudicii*»⁵². «*... omnes nervos virium nostrarum ad hanc virtutem oboedientiae... intendamus; ita ut omnibus*

⁵⁰ *Ib.*, III, 1,23.

⁵¹ *Ib.*, IV, 1,1.

⁵² *Ib.*, III, 1,23; VI, 1,1. In Constitutionibus VI, 5 et in Examine candidatorum occurrit expressio «*obligationem ad peccatum inducere*», quam absurde nonnulli intellexerunt obligare sub peccato.

in rebus ad quas potest cum caritate se oboedientia extendere, ... quam promptissimi simus... quidquid nobis iniunctum fuerit oboediendum... et id quidem in omnibus... ubi definiri non possit... aliquod peccati genus intercedere»⁵³.

Patet IGNATIUM admittere et sustentare applicationem oboedientiae, non modo ut licitam verum etiam ut praestandam, non solum quando dubitat de convenientia rei praeceptae ad finem intentum, verum etiam quando, facta debita investigatione circa moralitatem incertam obiecti praestandi, dubius manet de moralitate eiusdem.

In posteriore hoc casu, de moralitate obiecti exequendi, non in priore, de competentia Superioris ad praescribendam rem inutilem vel materialiter nocivam, moralistae censent subditum non teneri ad oboediendum; IGNATIUS probabiliter non urget stricte oboedientiam, sed in modo dicendi inclinat subditum ad praestandum hoc quod praestare potest sine peccato formali; nam in tali dubio stare potest pro Superiore.

Res, igitur, ad quas extendi potest oboedientiae praeceptum «*sunt illae omnes in quibus nullum manifestum peccatum*» apparet⁵⁴, etsi actus heroicos etiam habituales requirant, ad normam Constitutionum scienter et libere in emissionem voti acceptatos. Patet in Formulis Instituti a PAULO III et IULIO III probatis, in quibus candidati invitantur ad diu multumque considerandum:

«An tantum pecuniae spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc... possint consummare; hoc est, an Spiritus Sanctus... tantum illis gratiae polliceatur ut huius vocationis

⁵³ *Ib.*, VI, 1,1.

⁵⁴ *Ib.*, VI, 1,1B; supra, nota 52.

pondus se laturos sperent..., ut quidquid Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint ad profectum animarum ac fidei propagationem pertinens, et ad quamcumque provinciam nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione, illico, quantum in nobis erit, sive nos ad... quoscumque infideles... sive ad quoscumque haereticos, seu etiam ad quoslibet fideles mittendos censuerit, exsequi teneamur»⁵⁵.

Similiter poterunt Generales mittere «*quocumque magis expedire iudicabunt*», id semper statuendo «*quod ad maius Dei obsequium et bonum universale facit*»⁵⁶. Et quidem,

«quando Summus Pontifex vel Superior... ad laborandum in vineam Domini mittet, nullum viaticum petere possint; sed se liberaliter repraesentent ut mittantur prout illis ad maiorem Dei Gloriam videbitur..., pedites vel equites, cum pecuniis vel sine illis»⁵⁷.

4. Qualitates oboedientiae ignatianae

Qualitates generales quodammodo negativae in Constituionibus plures indicantur. Oboedientia praestetur sine excusationibus et obmurmurationibus⁵⁸; non repugnando, non contradicendo, nec ulla ratione

⁵⁵ O.c., n. 3-4.

⁵⁶ O.c. (cf. notam 10) VII, 2,1; cf. VIII, 1; IX, 36. «*Generatim loquendo, in rebus omnibus quae ad propositum Societati finem, perfectionis et auxilii proximorum, ad gloriam Dei faciunt, omnibus praecipere in virtute oboedientiae possit*» Superior. *Ib.*, IX, 3,20.

⁵⁷ *Ib.*, VI, 2,13 et I.

⁵⁸ *Ib.*, III, 1,23. Quod sint «*difficilia et secundum sensualitatem repugnantia*», nihil refert pro subiectis in ascensi Exercitiorum educatis.

iudicium proprium Superioris iudicio contrarium demonstrando⁵⁹.

Qualitates positivae «*integre, prompte, fortiter et cum humilitate*» applicandae⁶⁰, respiciunt executionem mandati, conformitatem voluntatis, conamen conformandi iudicium; tria haec quae in «Epistola de oboedientia» egregie illustrantur, quaeque concurrere debent ut oboedientia «*sit in nobis semper omni ex parte perfecta*»⁶¹.

Exsecutio operum iniunctorum debet fieri «*cum magna celeritate, spiritali gaudio et perseverantia, quidquid nobis iniunctum fuerit obeundo*»⁶². Talis exsecutio materialis sufficiens ad non praetergrediendum mandatum, infima est et valde imperfecta, nec virtutis nomine digna, ut declarabit epistola de oboedientia.

Urget IGNATIUS ut in executione «*quam promptissimi simus, re quavis, atque adeo, littera a nobis inchoata necdum perfecta relictæ*»⁶³; quae norma alibi simili urgentia proponitur, ut, «*audito signo, vel imperfecta littera relictæ, ad in quod vocantur, se conferant*»⁶⁴.

Mirum videri potest, sed verum est, quod «littera

⁵⁹ *Ib.*, IV, 10,5.

⁶⁰ *Ib.*, III, 1,23.

⁶¹ *Ib.*, VI, 1,1.

⁶² *Ib.*, S. BONAVENTURA sic describebat perfectam oboedientiam religiosi: «*debet esse promptæ sine dilatione; devota sine dedignatione; voluntaria sine contradictione; simplex sine discussione; perseverans sine cessatione; ordinata sine deviatione; iucunda sine turbatione; strenua sine pusillanimitate; universalis sine exceptione*». Cf. F. SUAREZ, *De Instituto Societatis Iesu* 1. IV, c. 14, n. 482.

⁶³ *O.c.* (cf. notam 10), VI, 1.1.

⁶⁴ *Ib.*, IV, 10,9.

inchoata» non significat litteras seu epistolam, sed singularem litteram alicuius vocabuli⁶⁵. De intentione, tamen, vera legislatoris licet fortasse dubitare: vix volebat retinere in praxi talem interpretationem; potius curabat urgere quam promptissimam executionem, ubi rationabile motivum ad brevem dilationem non existit, unde mora sit irrationalis.

Voluntas interveniat oportet ut exsecutio rei praeceptae sit virtuosa; intento, nimirum, animo exsequendi rem quae est praecepta, etsi non qua praecepta.

Quae vero sit genuina oboedientia voluntatis ignatiana declaratur: «*cum ille, qui oboedit, id ipsum vult quod qui iubet*»⁶⁶. Circa eam filius Societatis

*«conetur interius resignationem et veram abnegationem propriae voluntatis et iudicii habere; voluntatem ac iudicium... cum eo quod Superior vult et sentit... omnino conformantes»*⁶⁷; «*et est imperfecta ea oboedientia, in qua, praeter executionem, non est haec eiusdem voluntatis et sententiae inter eum qui iubet, et qui oboedit, consensio*»⁶⁸.

Intellectum quod attinet, oboedientia praestatur, cum subditus «*illud ipsum sentit, quod ille*», scilicet Superior⁶⁹.

⁶⁵ Exstat epistola STI. IGNATII in qua explicite dicitur: «*Si litteram B scribe inceperis, audito oboedientiae signo, inceptam relinquo, nec eam perficias*». Res sic stat. Sed vix intendebatur interpretatio litteralis eius in praxi. Potius hoc modo dicendi intendebat urgere IGNATIUS promptissimam oboedientiam, nullo rationabili motivo existente ad eam illico non praestandam.

⁶⁶ *Ib.*, VI, 1.1.

⁶⁷ *Ib.*, III, 1,23.

⁶⁸ *Ib.*, VI, 1.1.

⁶⁹ *Ib.*, VI, 1,1C.

Dicendo de oboedientia voluntatis, IGNATIUS necessario ei associabat iudicii oboedientiam⁷⁰, sive quia voluntas multum dependet a iudicio, sive quia iudicium non formatur sine influxu voluntatis, sive quia ad optatam ab IGNATIO oboedientiam filii non pervenient, nisi simul «*conentur interius resignationem et veram abnegationem propriae voluntatis et iudicii habere*»⁷¹.

In *Epistola de oboedientia* profunde et acute disserit IGNATIUS de influxu indirecto voluntatis in intellectum et de mutua interactione, innixus in experientia universali. Motus animi examinantibus perspicue apparet quomodo, in negotiis ardentem concupitis a voluntate, intellectus mirabiliter disponitur ad elaborandas considerationes faventes desideriis voluntatis, infirmatis vel etiam spretis obiectionibus quae, in dispositione animi contraria, graves forent et forte trahentes in contrarium propositum.

Conatur quoque IGNATIUS in ipsius iudicii activitate directe suspiciones suscitare, cum illud naturaliter tendit in sensum contrarium oboedientiae, recurriendo ad diversas considerationes: ad privilegiatam positionem Superioris, regulariter ob dotes personales commendati, et vix non semper multo melius de re informatus et de circumstantiis complexis concurrentibus; ad labilitatem iudicii personalis in rebus circa quas uno vel alio appetitu afficitur, quin perveniat ad optandam indifferentiam; ad sensum Providentiae, cuius «*fidelissima caritas*» non sinet decipi

⁷⁰ In *Epistola de oboedientia* animadvertēbat postquam dixerat de oboedientia voluntatis: «*Quien pretende hacer entera y perfecta oblación de sí mismo, ultra de la voluntad es menester que ofrezca el entendimiento*».

⁷¹ O.c. (cf. notam 10) III, 1,23.

subiectum in via servitii et gloriae divinae, inita cum tali sacrificio sui ipsius; ad spiritum fidei praesertim, vix patientem suspicionem erroris in Superiore gubernante secundum regulas sub influxu Spiritus Sancti praeparatas, et per auctoritatem Ecclesiae sancitas.

Dicendo de oboedientia iudicii commendatur abnegatio istius, «*caeca quadam oboedientia*», quae iam tempore Sti. Ignatii suscitavit incriminationes, immo et paulo post delationem ad iudicium Sanctae Sedis⁷²; et nunc quoque scandalizat quoscumque sensu fidei et Providentiae carentes.

Nec desunt nunc fideles et religiosi qui, de libertatis et dignitatis personalis acquisita demum conscientia gloriantes, sic dictam oboedientiam caecam minus conformem cum personalitate curanda iudicant.

Quid «oboedientia caeca» significet apud S. IGNATIUM bene explicatur ab ipso in «epistola de oboedientia», allatis quoque illustrationibus levius saepe examinatis, et quoad veram significationem adulteratis, de disponibilitate «*perinde ac si esset cadaver*» et de «*senis baculo*», in quibus nulla reluctantia sed generosa praestatio ostenditur⁷³.

⁷² Ipse IGNATIUS in epistola ad P. VIOLA illustrabat sensum expressionis «*caeca quadam oboedientia*» (in qua illud «*quadam*» non est parvipendendum): «*Caecam dico duobus modis: Primo, subditi est, ubi peccatum non insit, mentem propriam captivare...; secundo..., si forte sint rationes aliquae aut inconvenientia..., humiliter Superioribus ea repraesentare...; animo praesto, oboedientiam talem, qualem sibi Superior monstrabit aut mandabit, exsequatur*». Cf. Monumenta ignatiana, ser. I, t. I, 228. De difficultate PP. GASPAS SÁNCHEZ et SANTACRUZ cf. ASTRAIN, *Historia de la Compañía de Jesús*, III, 363-365.

⁷³ En textus incriminatus: «*haciendo cuenta que cada uno de los que viven en obediencia se deben dejar llevar y regir de la divina Providencia por medio del Superior, como si fuera un cuerpo*

Minime negatur in iis oboedientia activa et responsabilis; neque enim excluditur quaevis intellectus sive rationis operatio, quae eliminaret rationabile obsequium voluntatis; excluditur, autem, quidquid amor nostri inordinatus, per interventum intellectus et voluntatis, machinari intendere posset adversus executionem mandatorum.

Iam saeculo V CASSIANUS et saeculo VI IOANNES CLIMACUS, oboedientiam caecam meminerunt; significantes, tamen, «caecitatem oculatissimam», clausam quidem quoad sensum corporis, sed valde apertam et luminosam quoad sensum fidei. Mentem IGNATII sic tradebat NADAL:

«Coeca quadam oboedientia, non quidem ut nihil videamus, nihil prospiciamus omnino in exercitio oboedientiae, sed ita oculos mentis nostrae comparemus in Christo Iesu, ut nihil videamus vel prospiciamus quod perfectionem oboedientiae impedire aut infirmare possit; simul in luce oboedientiae versemur, quae nobis quidquid a Superiore profectum sit, faciat illustre, iucundum, optimum»⁷⁴.

Occasione impugnationis Epistolae de oboedientia in libello delato ad SIXTUM V, ROBERTUS BELLARMINUS declarabat sensum doctrinae et expressionum:

«Nihil alium caecae oboedientiae nomine voluit intelligi, nisi veram, perfectam ac simplicem; sine discussione eius quod imperatur vel causae cur imperetur, eo solo contenta, quod imperatur»⁷⁵.

muerto, que se deja llevar adonde quiera y tratar como quiera; o como un bastón de hombre viejo, que en donde quiera y en cualquier cosa que dél ayudarse quiera el que le tiene en la mano sirve». Patet rem esse de subiectione erga Providentiam responsibili et libera, sita in autodeterminatione circa mandatum.

⁷⁴ Scholia in P. VI, 1,1. Cf. *De Religione Societatis Iesu*, I, IV, c. 15, 532.

⁷⁵ Cf. LE BACHELET, *Auctarium Bellarminianum*, 337. SUÁ-

Hanc fuisse mentem IGNATII suadent, tum realismus reflexivus in operando, adeo ab eo promotus, tum eius declaratio quod caeca dicitur oboedientia in quantum captivat mentem subditi, prompti ad obtemperandum; et praesertim in quantum, «*ubi occurrit subdito aliquod inconveniens circa rem iussam, humiliter illud Superiori repraesentando, nullo modo hunc ad alterutram partem induceret, sed postea, rem qualem Superior monstraverit, praesto animo exequeretur*»⁷⁶.

Accedit quod IGNATIUS, expresse et non semel, permittit proponere Superiori proprios sensus, mandatis Superiorum contrarios. Praescribit v.gr. instanter plenam indifferentiam circa «gradum» in Societate adipiscendum; et nihilominus declarat:

«*Cum tamen aliquid constanter eis sese offeret, quod ad maiorem Dei Gloriam fore iudicaverint, post orationem simpliciter Superiori proponere poterunt, ipsius iudicio omnino rem committentes*»⁷⁷.

Dicendo de missionibus in vineam Domini ait esse «*eius qui mittitur officium, nulla ratione se ingerendo ad eundum vel manendum, in hoc loco potius quam in alio*», non ideo repugnare quod proponat

REZ, l.c. (cf. notam 74) explicat: «*Quatenus excludit proprium iudicium, dicitur caeca: excludit autem proprium, quatenus vitiosum aut imperfectum est, non quatenus dicit omnem usum proprii intellectus*».

⁷⁶ Mon. Ignat., Ser. I, Tit. I, 228.

⁷⁷ L.c. in nota 22, VIII, 1A. «*Proponere quod in animo versatur, quaeque occurrunt, licitum est; nihilominus... omnino paratum esse oportebit ut id melius existimet, quod Superiori suo melius videbitur*». *Ib.*, V, 4,5F. Similiter in VII, 2,1,I.

«*motus animi aut cogitationes quae in contrarium occurrunt*», cum debita subiectione⁷⁸.

Immo, generalius, circa negotium quodcumque, cum subditi animadvertant aliquid sibi deficere in iis quae providet Superior, iubet eos admonere de ea re Superiorem, «*duo interim observantes; primum, ut, antequam ad eum quid referant, se ad orandum recipiant... alterum, ut cum... Superiori rem exposuerint, ei totam curam rei expositae relinquunt, et quidquid ille statuerit optimum ducant*»⁷⁹.

Ex relatis patere videtur intima connexio inter ascesim et spiritualitatem Exercitiorum et Constitutiones circa oboedientiam in Societate Iesu; connexio adeo intima, ut spiritualitas Exercitiorum applicata in vita consecrata non possit non arcere abnegationem totalem sui per holocaustum sui ipsius, facultatum intellectus et voluntatis, consummatum iuxta sapientissimum dictamen rationis fide illustratum et amore divino determinatum.

IV. CONCLUSIO

Relatio inter oboedientiam ignatianam et doctrinam Concilii Vaticani II, praesertim in Decreto *Perfectae caritatis* arcta videtur.

Dicendo de diversis statibus in Ecclesia, Concilium Vaticanum II recogitabat monitionem Apostoli exhortantis fideles ad perfectionem in vita christiana, ut *hoc in se sentiant quod et in Christo Iesu, qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens... factus oboediens usque ad mortem*». Addebatque Ecclesiam desiderare:

⁷⁸ L.C. in nota 10, VIII, 1,1,I.

⁷⁹ *Ib.*, III, 2,1 et A.

«Plures in sinu suo inveniri viros ac mulieres, qui exinanitionem Salvatoris pressius sequuntur et clarius demonstrant... propriis voluntatibus abrenuntiantes: illi scilicet sese homini propter Deum in re perfectionis ultra mensuram praecepti subiciunt, ut Christo oboedienti sese plenius conforment»⁸⁰.

Totalis, autem, huiusmodi mancipatio famulatus divini, quae fit in vita religiosa per peculiarem consecrationem, plenius exprimentem consecrationem baptismalem, in qua radicatur⁸¹, non eadem ratione efficitur in diversis Institutis vitae consecratae. Etenim in ipsum Ecclesiae bonum cedit:

«ut Instituta peculiarem suam indolem ac munus habeant. Ideo fideliter agnoscantur et servantur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanae traditiones, quae omnia cuiuscumque Instituti patrimonium constituunt»⁸².

Sic, igitur, indoles propria oboedientiae religiosae in singulis familiis exprimitur in propriis Constitutionibus, eoque erit perfectior quo melius respondeat finibus singularum familiarum. Diversas formas oboedientiae religiosae indicat J.M.R. TILLARD quinque vel sex fundamentales⁸³. Praemittit, autem, quandam descriptionem generalem huius oboedientiae, communem omnibus formis oboedientiae.

Religiosus intenderet, secundum ipsum, superare solitudinem, et convenire cum aliis in audiendo verbo Domini, in adhaerendo eidem; in illo autem excipiendo pro executione non amplius secundum proprium

⁸⁰ Const. *Lumen gentium* (LG) 42a.

⁸¹ Decr. *Perfectae caritatis* 5a; LG 44a.

⁸² PC 2b.

⁸³ *Obéissance*, in *Dictionnaire de spiritualité*, XIII, 558-559.

solum modum iudicium decernendo, sed in fraternitate evangelica cum aliis qui ipsum verbum excipiunt. Communitas fraterna constituit quosdam pro servitio ceterorum ad procurandam *realisticam* fidelitatem erga voluntatem divinam per oboedientiam responsabilem, superatis quidem limitibus relationis inter priorem et posteriores, ut prae *hypotage* seu submissione erga praepositos, sit *hypakoe* seu auscultatio verbi. Voluntatem Patris communicat Christus religiosis per mediationem fraternam, etsi diversa ratione «*secundum diversa temperamenta spiritualia et secundum diversam intelligentiam mysterii relationis Christi cum Ecclesia*⁸⁴.

Huiusmodi considerationes, si intendantur referentes universaliter omnem formam oboedientiae religiosae, vix poterunt recognosci ut fideliter referentes formam oboedientiae nonnullorum Institutorum vitae monasticae; et in particulari non videntur componi cum oboedientia ignatiana, largissime assumpta a Congregationibus inde a saeculo XVIII⁸⁵.

⁸⁴ *Ib.*, 557. Alibi scribebat: «*On ne se lie pas, en effet, à une communauté dans le but de se laisser vivre sous la conduit d'un autre qui prendrait pour nous les décisions... le religieux conscient du fait qu'il doit communier en plénitude au vouloir du Père, ... cherche-t-il avec lucidité, personnellement, dans le silence de la prière, ou dans le dialogue avec ses frères... les exigences précises de cette volonté de Dieu sur lui*» (*L'obéissance religieuse*, in *Vatican II, L'adaptation de la rénovation de la vie religieuse* [Paris 1967] 474).

⁸⁵ *Ib.*, 558. Secundum TILLARD ageretur, contradicente textu ignatiano, de oboedientia determinata ex apostolatus necessitate sociorum «*de confier à l'un d'entre eux, aux décisions duquel ils se soumettraient, sans sourciller, la charge d'assurer la coïncidence des volontés... L'abnégation, la soumission... se voient alors pris dans leur sens le plus rigoureux et assumées en vue d'un projet apostolique où la subordination joue à plein*» *Ib.*, 559.

Immo, cum supponit decisiones Concilii Vaticani II favere cuidam formae oboedientiae regiminis capitularis ad modum mediaevalium mendicantium⁸⁶, oblivisci videtur, sententias explicitas Concilii circa vitam religiosam in oboedientia, quae magis cohaerent cum expressionibus quae recurrunt in describenda forma ignatiana.

Re quidem vera Concilium non semel commendat in re perfectionis vitae christianae, plenioris hominis subiectionem erga hominem propter Deum, propriae voluntati abrenuntiando ut hoc in se sentiat quod et in Christo Iesu qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens, factus oboediens usque ad mortem⁸⁷. Similiter proponit perfectionem quaerentibus ut Deo totaliter mancipientur, eiusque servitio et honori novo ac peculiari titulo referantur, sui donatione quae totam vitam complectitur⁸⁸. Notat quoque renuntiationem, quam consiliorum evangelicorum professio secum fert, «*personae humanae vero profectui non obstare, sed natura sua ei summopere prodesse... ad spiritualem libertatem non parum*» conferre. Immo, de oboedientia in particulari ait, «*nedum dignitatem personae minuit, illam ampliata libertate filiorum Dei, ad maturitatem adducit*»⁸⁹.

Describendo expresse oboedientiam religiosam, ait:

«*Per professionem oboedientiae plenam propriae voluntatis dedicationem veluti sacrificium sui Deo offerunt, et per illud constantius et securius divinae voluntati salvifica uniuntur... ad exemplum Iesu Christi, qui venit ut faceret*

⁸⁶ *Ib.*, 558.

⁸⁷ *LG* 42d; *PC* 1c; 5c; 14a.

⁸⁸ *LG* 44a; 46b; *PC* 1c.

⁸⁹ *LG* 46b; *PC* 14b.

voluntatem Patris, et formam servi accipiens... religiosi, Spiritu Sancto movente, Superioribus, vicem Dei gerentibus in fide sese subiciunt... vires intellectus et voluntatis necnon naturae et gratiae dona in praeceptorum executione... conferendo»⁹⁰.

In praecedentibus oboedientia a subditis religionis praestanda expressa videtur, modo et expressionibus, quae videri possunt proxime inspiratae in conceptione et terminologia ignatiana. Ad superiores, autem, quod attinet, Concilium decernit:

«In spiritu servitii pro fratribus auctoritatem exercent... subditos regant qua filios Dei et cum respectu personae humanae, illorum voluntariam subiectionem promoventes... Sodales eo perducant ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa ac responsabili oboedientia cooperentur»⁹¹.

Haec oboedientia activa et responsabilis perperam cogitaretur incompatibilis vel opposita dispositioni oboedientis subditi ignatiani, cui commendatur, ante mandatum susceptum, indifferentia et disponibilitas absque resistantia, quae illustratur cum disponibilitate absoluta cadaveris et baculi nullam resistantiam opponentium. Sicut, enim, exinanitio, totalis mancipatio, servitium per sui donationem, plena voluntatis dedicatio veluti sacrificium ad exemplum Christi formam servi accipientis, et similia, non obstant secundum mentem Concilii oboedientiae activae et responsabili applicatis viribus intelligentiae et voluntatis, sic promptitudo commendata subditis in Societate Iesu ut in plena abnegatione sui dociles et disponibles sint ad suscipienda mandata Superiorum,

⁹⁰ PC 14a.

⁹¹ *Ib.*, 14c.

sicut irresistentes sunt et disponibles baculus et cada-ver, nihil impedit quominus, suscepto iam mandato, totis viribus aggrediantur executionem mandatorum, movente strenua voluntate et moderante illuminato intellectu. Tertium, etenim, comparationis in exemplis ignatianis non est in passivitate coram re agenda, sed in docilitate ad rem acceptandam.

Ex parte Superiorum, quantum IGNATIUS fideret dotibus et iniciativis subditorum exsequentium active et responsabiliter munus sibi commissum patet ex multis. Quando scribit de missionibus apostolicis conferendis a Superioribus, describit qualitates naturales requisitas in subditis mittendis, secundum genus missionis conferendae: viros magis delectos quibus magis confidatur pro negotiis *«in quibus plus refert non errare...; ut agant cum viris prudentibus, ii convenire magis videntur, qui discretionis et conversationis laude cum hominibus gratiam habent»*, et sic in aliis⁹². In quibus implicita supponitur applicanda industria personalis subditi, magna creativitate.

Quocumque Superior mittet aliquem, eum plene instruere debet

«tam de modo procedendi, quam de mediis quibus eum uti velit ad finem quem in animo habet..., consilio et aliis auxiliis providebit... Quod tanto maiori cura praestari debet, quanto negotii qualitas et personarum quae missae sunt (quod consilio et instructione indigeant) id magis exigit... Aliquando is qui mittitur tam instructus est tamque dexteritate pollet, ut instructio non sit necessaria»⁹³.

Immo, in linea generali declarant Constitutiones:

«Qui missus est, ...potest magis et minus, in hoc vel in illo loco immorari, aut discurrere quacumque, omnibus

⁹² O.c. (cf. notam 10) VII, 2F; et *ib.*, 1.

⁹³ *Ib.*, VII, 2.

perpensis... iudicaverit ad Dei gloriam magis expedire... Ubicumque quis maneat... in eo se exercebit quod magis convenire iudicaverit»⁹⁴.

Praevidebat casus in quibus «alicui, cui tanquam sibi ipsi fideret, praesertim in locis remotissimis» committatur facultas etiam ad dispensandum de observandis Constitutionibus secundum circumstantias⁹⁵. Constat quoque quantum

«amorem et fiduciam reponebat in persona cui commendabat negotium aliquod momenti, dando instructiones quae sibi videbantur, et tradendo subscripta folia et credita, liberum relinquens illum ut ageret secundum capacitatem et talentum. Quodsi percontarentur de re particulari quid ei videretur, dicebat: Tu, qui es immersus in re, videas quid melius facere oportebit»⁹⁶.

Id concedi potest, conferendo ea quae dicuntur in P.C. 14 c., cum Constitutionibus IGNATII: in his non inveniri normas expressas Superioribus de exercenda auctoritate in spiritu servitii erga fratres, de regendo eos tanquam filios Dei cum respectu personarum, informando ipsos de agendis. Attamen etiam in his intentio maioris gloriae divinae et perfectionis subditorum satis indicant oboedientiam exerceri in Societate Iesu secundum spiritum Concilii. Iam in ipsis Constitutionibus haec invenimus de modo se gerendi Superioris:

«Eo modo didicerit rectitudinem ac severitatem necessariam cum benignitate et mansuetudine miscere, ut nec se

⁹⁴ *Ib.*, VII, 3. «Aliquando is qui mittitur tam instructus est, tamque dexteritate pollet, ut instructio non sit necessaria». *Ib.*, I.

⁹⁵ *Ib.*, IX, 8D.

⁹⁶ P. RIVADENEIRA, *De ratione quam in gubernando tenebat Ignatius*, in *Monumenta ignatiana*, Ser. IV, I, 453.

flectere sinat ab eo quod Deo... gratius fore iudicaverit; attamen filiis suis, ut convenit compati noverit, eo modo se gerendo ut etiam qui reprehenduntur... agnoscant nihilominus quod recte in Domino et cum caritae ille suum officium faciat»⁹⁷.

E relatione RIBADENEIRA, testis immediati, novimus IGNATIUM amasse noscere inclinationem singulorum circa facienda, etsi praeferret animum indifferenter oblatum Superioribus⁹⁸; talem ostendisse amorem erga subditos, ut eos non oneraverit ultra id quod facile ferre possent; curasse ut, coram re difficili mandata, subditus manifestaret, facta oratione, in scriptis, num paratus esset ad talem rem aggrediendam, num circa eam attractionem experiretur, quid resolveret si determinatio penderet ab ipso⁹⁹.

Revera si talis erat imago oboedientiae exercendae in Societate Iesu, et ea talis fuisse ostenditur ex historia, nihil proponitur in Concilio Superioribus religiosus circa modum procedendi cum subditis, quod in Instituto Societatis Iesu non sit cohaerenter observatum cum norma conciliari P.C. 14, c.

M. ZALBA, S.J.

⁹⁷ O.c. (cf. notam 10), IX, 2,4.

⁹⁸ O.c. (cf. notam 96) 447.

⁹⁹ *Ib.*, 452-453.